



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentaria In Regvlas Cancellariæ Apostolicæ: Sive In  
Glossemata Alphonsi Sotto, Glossatoris nuncupati**

**Chokier, Jean de**

**Coloniae Agrippinae, 1674**

Reg. LXI. de Exprimendo valore benef. in impetrationibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62377)

illa dentur ratione obsequij & personalis ministerii, puta interessentibus divinis, & pro mortuis suffragia præstantibus, ideoq; non sunt de corpore beneficii, nec sub illius valore comprehenduntur, Rota decisio. 134. in novissim. Felii in carp. ad aures numero 14. de rescript. DD. in cap. licet de præben d.

## Argumenta in Regul. lxi. Innocentij VIII.

1. Vre non cavetur ut impetrans teneatur facere mentionem valoris beneficii obtenti.
2. Conditor istius Reg. fuit Urbanus VI.
3. Intellectus clausulæ: per marchas argenti aut sterlingorum.
4. Regula hæc inventa est propter annatas, nec taciturnitate valoris illæ defraudarentur.
5. Valor beneficii obtinendi intelligitur exceptis distributionibus quotidianis.
6. Beneficium quod datur in stipendium potest clericus conjugatus retinere.
7. Intellectus clausulæ, iuxta ipsarum obligationes.
8. Verbum tunc denotat tempus datæ impetrationis.
9. Impetrans beneficium curatum, an non jam obtenti valorem exprimere debeat.
10. An hæc Regula sit de dandis.
11. Pensionis an sit facienda mentio in impetrationibus benefic. & nu. 10.
12. Conditor hujus Regul. quis fuerit ex opinione Gomeij.
13. Urbanus VI. quatuor edidit Reg. de valore.
14. Gratia motus proprii non includitur sub Reg. de valore.
15. Hac Reg. non habet locum in Ordinariis.
16. Valor distinctè probandus est, & non in confuso.
17. In gratia motu proprio concessa, juxta Regulas antiquas, non erat necessaria expressio valoris beneficii obtenti, nec ob omissionem dabatur vacatio: secus jure novissimo, & secundum Regul. modernas.
18. Lite orta inter provisorum Apostolicæ, & à Nuncio, utri incumbat onus probandi valorem.
19. Nuncius vigore suæ facultatis, potest conferre beneficia iurispatronatus Ecclesiastici non excedentia valorem. 24. Ducat. Imò & iurispatronatus laicorum ex eorum negligentia devoluta.
20. Ratio cur hæc Reg. sit condita.
21. Hodie ex generali consuetudine omnia beneficia rescribuntur ad XXIII. ducat.
22. Clausulæ tollentes necessitatem exprimendi valorem.
23. Quid si falsus valor, sed major sit expressus.
24. Beneficium censetur vacare per obitum resignantis, ubi in resignatione non est expressus verus valor, si que illius resignatarius inhabilis.

- |   |   |
|---|---|
| <p>25. Falsus beneficii valor seu major, seu minor expressus gratiam reddit nullam.</p> <p>26. Fructus grossi attendendi sunt in absentia.</p> <p>27. Valor beneficii quomodo probetur.</p> | <p>seu aestimetur. Ibid.</p> <p>28. Pensionis non est facienda mentio in Imperationibus beneficiorum.</p> <p>29. Dummodo pensio sit assignata in titulum beneficii.</p> |
|---|---|

## Regul. LXI. Innocentij VIII.

quæ est Liv. Pauli V.

### DE EXPRIMENDO VALORE BENEFICIORUM IN IMPETRATIONIBUS.

**I**tem voluit, quod in gratiis, quas personis quibusvis de beneficiis vacantibus seu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorum & aliorum quorumcumque beneficiorum, quæ dictæ personæ tunc obtinuerunt, seu de quibus eis fuerit provisum vel concessum, aut mandatum provideri, verus valor annuus per marchas argenti, aut sterlingorum, vel libras Turonensium parvorum, seu florenos auri, aut ducatos, vel uncias auri, seu aliam monetam secundum communem æstimationem exprimatur, nisi motu proprio gratiæ huiusmodi fiant: vel personæ prædictæ beneficia quæ tunc obtinuerunt, aut quibus vel ad quæ jus eis competit iuxta ipsarum oblationes aut alias dimittere teneantur, alioquin præfate gratiæ sint nullæ. \* Et idem servetur in expectativis de beneficiis obtentis in quibus seu ad quæ impetranti ius competit, & de illorum valore.

### GLOSSEMA ALPHONSI.

*I*sta regula dicit quod in gratiis factis de aliquibus beneficiis debet fieri expressa mentio de valore istorum beneficiorum & aliorum quæ obtinent impetrantes, & ad quæ ius habent, secundum communem æstimationem, alias dictæ gratiæ sint nullæ, nisi sit gratia facta motu proprio: alias impetrans teneatur dimittere beneficia quæ obtinet per oblationem

oblationem suam, vel alias, & idem vult servari in expectativis de beneficijs obtentis, & de his in quibus sibi ius competit & de illorum valore, hoc dicit.

Et ista Reg. est præter dispositionem iuris communis: quia non cavetur iure quod impetrans teneatur facere mentionem valoris beneficiorum, quæ obtinet ut dicit glo. in verbo, vel alteri, post prin in clem. 1. de præb. & tenet decisio Rota in novis CCXC. quæ incipit, Item licet impetrans. Tamen ista regula est orta ex regula Urbani VI. quam refert ad litteram supradicta decisio & alias est in aliquibus libris in decis. sequenti, ubi recitatur quasi ad longum ista regula, & additur ibi id fore in confirmationibus pro qua facit gl. quam dicit bene notandam Domi. ibi in c. si Apostolica de præb. lib. VI. & quod hic dicitur de valore beneficij obtenti & obtinendi secundum valorem marcharum sterlingorum &c: debet intelligi secundum nationes ubi sunt ista moneta: tamen si Hispanus poneret istum valorem non malitiose, credo quod sufficeret, quia satis est facere vel dicere illud quod facit vel dicit lex l. 1. §. penult. ff. de aleato, & de valore obtinendi etiam non reperio tantum, nisi in extrav. ag. lo. xxii. secundum taxationem decime, sed non secundum verum valorem, sed illa Regula Urbani hoc dicit, & est hoc propter mediam annuatim quando excedit xxii. libras beneficium &c: & quia hodie ista regula non servatur, quia satis est quod in clausulis ponatur illa clausula, & quod obstantia maxima beneficalia ratoris habeantur pro expressis: ideo non insisto in ea quoad beneficia obtenta: nam in bulla ponitur ista clausula, quorum veros valores hic volumus habere pro expressis &c: sed quoad obtinendum impetratum, debet intelligi exceptis distributionibus quotidianis, ut dicit decis. Rota cxxx. quæ incipit. Item quando impetratur & idem vult Io. Ant. de mortua, annivers. in Rubricade concess. præben. in addi. ad specu. & mea decis. hoc retert, & de primis est conf. Oldr. cxviii. quod incipit Virtute gratiæ quod posui in tit. de verb. sig.

Item circa obtenta, non omittam de illo beneficio quod quis habet in stipendium & non in titulum, non tenetur quis facere mentionem, & hoc vult una dec. in antiq. CCXXXII. quam refert Milis, in verbo gratiam beneficij impetrans: sed ego allego text. singularem quod illud non dicitur proprie beneficium, & quod Clericus coniugatus potest illud retinere in c. si qui sunt clerici 32. dist.

Item in quantum hic dicitur Juxta ipsarum oblationes &c: debent intelligi iuxta petitionem partis impetrantis, quæ dicit in supplicatione quod offert se dum secundum tale beneficium per affectionem istius &c. ex quo sequitur quod si postea vellet dimittere illa, vel aliud, quæ vel quod obtinebat, quod non propterea valet gratia per verbum tunc quod denotat tempus datæ impetrationis &c: si eo tempore, de refer. lib. vi. facit glo. in cle. de hæred. in verbo ex nunc, & quod dixi supra in proemio.

Item ex hac Regula ibi vel alias &c: sequitur quod impetrans beneficium curatum, licet non faceret mentionem valoris alterius curati quod obtinet, vel alterius incompatibilis, tamen quia vacat primum ipso iure, quod non propterea ista impetratio vitatur, ex quo primum dimittere tenetur secundum hanc regulam, iuncto cap. de multa, de præb.

Item ista regula quoad beneficium impetratum bene est danda hodie, & data fuit tempore meo, quia habet decretum irritans, & etiam quoad obventa daretur, nisi in bella peneretur illa clausula, quam superius dixi, scilicet quorum veros valores &c. Sixtus tamen fecit unam aliam regulam, quod tenetur quis exprimere omnia beneficia, & eorum valores que obtinebat tempore impetrationis, alias annullabat: sed postea fuit cassata ob causam.

Item ex predictis etiam sequitur quod de pensione, quam quis non habet in titulum ab Ecclesia, non tenetur quis etiam facere mentionem valoris, nec ipsius pensionis, sicut quod dicit Jo. And. in c. postulasti, & in c. ad audientiam de rescript. & Domi in c. si pauper de prae. lib. 6. alias sic facit gl. in cle. 1 r. in verbo quodcumq; de vita, & honesta. cleric. Sed quia hodie qualibet pensio succedit loco beneficij, quia est ad vitam recipiens; ideo credo quod tenetur impetrans mentionem facere de ea.

---

COMMENTARIA. JO. A CHOKIER.

**A** *Ista Regula dicit*) Hæc Innocentij Regula nonnihil immutata est & aucta per posteriores Pontifices. Nam Pius IV. quem alij adhuc usque tempore secuti sunt post dictionem *exprimatur nisi*, in duxerunt, seu deleverunt sequentia (*motu proprio gratia eiusmodi sunt, vel*) & post dictionem *gratia sint nulle* subjecerunt sequentia:

*Et idem servetur in gratis quas à Sanctitate sua motu proprio emanare contigerit: quod beneficia tamen de quibus per suam Sancti pro tempore providetur, seu provideri mandatur, aut alias disponitur, ac litteris per quas pro tempore ad Ecclesiarum Patriarchalium, & Cathedralium, ac Monasteriorum regnum promotis conceditur, quod Monasteria, & alia beneficia Ecclesiastica secularia, & regularia per eos obtenta, & in quibus, & ad que jus eis competit, retineri possint.*

Quæ appendicula quorsum fuerit per posteriores Pontifices Regulæ huic inserta, ex dicendis patebit.

**B** *Orta ex Regula Urbani VI.*) Adstruit tamen Gomesius ad hanc Regul. illius conditorem non fuisse Urbanum VI. sed Urbanum IV. eumque quatuor Regulas edidisse super valore experimendo in gratis, quarum prima fuit circa 13 gratias, & beneficia obtenta cujus facit mentionem Rota decis. 19. de prebend. in Novissimis. Secunda circa impetrantes beneficia vacantia, vel certo modo vacatura, ex quibus duabus unam composuit Joannes XXIII. ex qua sumpta fuit ista moderna. Tertia fuit de valore experimendo in unionibus benefi-

beneficiorum: hanc Innocentius VIII. suis Regulis inseruit, sub numero XXI. ut patet supra. Quarta & postrema fuit de exprimendo valore circa beneficia impetrata motu proprio, quæ beneficia tempore Innocentij excipiebantur ab hac Regula. Nam hic statuitur gratiam motu proprio non includi sub hac Regula, quod & notat Mandos. *ad Reg. de union. quest. 2. nu. 2.* Verum postea recessum est ab hac Innocentij Regula, & Ordinatum per sequentes Pontifices, ut etiam idem observaretur in gratijs motu proprio concessis, ut ex supra scripta appendicula videre est, quæ loquitur tantum in beneficijs obtinendis, ut mox dicam.

Cæterum adverte quod hæc Regula locum non habet in collatione Ordinarij Mandos. *ad Reg. 22. quest. 11. num. 3. Flam Paris. de refig. benef. lib 8 quest. 9. num. 44.* sed tantum locum habet in gratijs Papæ, Legatorum, & Cardinalium nam isti personis censentur providere, illi Ecclesijs, Gomef. *ad hanc Reg. quest. 2. An. ff. Germanij tract. de Indultis Cardin. §. Tibi nu. 102. Cardin. Tuschus pract. conclus. tom. 6. conclus. 99.* Adverte secundo, quod valor expressus distinctè probandus est & non in confuso, v. g. narratur unum non excedere 100. & aliud 24. non sufficit probare in confuso quod ambo non excedant 124. sed est distincta probatio necessaria juxta narrata, scilicet quod unum non excedit 100. & aliud 24. juxta tradita per Nicol. Garciam *de benef. part. 6. cap. 2. nu. 155.* & Farinacium *decis. 351. p. 2. in Noviss.* ubi scribit valorem beneficij plenè & concludenter probandum esse, nec sufficere illum probari per publicam vocem & famam, quando agitur de perpetuo præjudicio. Adverte tertio, quod dicitur in hac Innocentij Reg. non exprimendum valorem in gratia motu proprio facta, & ex consequenti non dari vacationem beneficij proprio motu impetrati ob valoris suppressionem, id tantum nunc obtinere secundum superscriptam Pij IV. & aliorum recentiorum Constitutionem appendicularem, in beneficijs obtinendis, quippe quæ restricta est tantum ad beneficia de quibus per Sanctitatem suam pro tempore provideretur, seu provideri mandatur, vel alias disponitur; Sic ut respectu huius limitationis veniant beneficia tantum quæ tunc motu proprio conferuntur, non autem ea quæ prius per promotum obtinebantur, cum limitata dispositio, limitatum producat effectum, & dictio illa *quo ad* restringat, & limitet præcedentem dispositionem *leg. penult. ff. de excusat. tut. Deus consil. 360. numero 6. vers. Tertio* & absurdum esset, ut Papa qui motu proprio, confert beneficium alicui, teneatur divinare an ille alia beneficia possideat necne; cum tamen per suos officiales facile posset habere notitiam valoris beneficij ejus quod conferre intendit, ut rectè, & doctè annotavit Illustrissim. Cardinalis Seraphinus Oliverius olim Rotæ celeberrimus Auditor *in una Lunen. Prioratus 9. Februarij. 1590. pelata in decis. dicti Domini Seraphini sub numero 911. num. 1. & seqq.* Quarto adverte

advertit si lis oriatur inter provifum Apoftolicè & provifum à Nuncio quilibet facultatem habet conferendi beneficia valoris 24. Ducatorum onus probandi valorem incumbere provifio à Nuncio, ut decidit Rota in una Placent. beneficij coram doctis, ac R. P. D. Orano 8. Maji 1586. quod procedit non obftante assertione Nuncij: quia ejus assertioni circa valorem non credetur propter fraudes quæ fieri poffunt Rota decif. 10. de prob. in No. Put. dec. 322. lib. Anaf. Germon. de Indult. Card. S. ac irritum nu. 27. Mohed. decif. 20. nu. 1. de prob. Garcia de ben. p. 5. c. 3. nu. 188. Quinto advertit Nuncium vigore fua facultatis poffe conferre beneficia Jurifpatronatus Ecclefiaft. non excedentia valorem 24. Duc. imò etiam Jurifpatronatus laicorum, ex eorum negligentia ad Papam, aut ad Ordinarium devoluta, dummodo non excedant valorem 24. Duc. Garcia d. cap. 3. numero 243. & fequentibus.

**C** Propter mediam annatam ) Idem inventa fuit hæc Regula ne per ejuſmodi valoris taciturnitatem Annata defraudarentur, quæ, ut inquit Gomez, ad ſubventionem Papæ & Cardinalium indigentium introductæ fuerunt, ſicut & charitativa ſubſidia, ut tradit Fernand Cordub. in tract. Annatarum, & deniq; ut Papa intelligat qualitatem beneficij quod confert, habita etiam ratione meritum perſonæ cui confertur, ut not. Gomez. ad hanc Reg. q. 3. ſed hodie ex generali conſuetudine & ſtylo Curie Ro. Canonicatus omnes Germaniæ & Hiſpaniæ referibuntur ad 24. Duc. idque ut vitentur Annata, & ita ſe habent Concordata Germa. Branden. ſuper Concord. Germ. notab. 2. addique ſolet clauſula augendi, & minuendi in litterarum expeditione, vel iſta, quod obſtan. Oratorum habeantur pro expreſſis, nec non, verus valor & vacationis modus &c. : habeantur pro expreſſis, alioquin verus eſſet valor exprimendus, ut notat Reluff. in praxi in forma nova proviſionis, ne gratia reddatur nulla: ſi etiam falſus beneficij valor ſeu minor, ſeu maior expreſſus ſit gratia nulla eſt, ex ſtylo Ro. Curie, ut diximus quod & probat Crescent. dec. 8. de prob. & Io. Gutierrez lib. 2. Conſ. quaſtionum c. 15. nu. 76 ubi reprobat opinionem P. de Anchor. conſ. 395. nu. 13. & Covar. lib. 1. Var. fol. c. 20. nu. 7. exiſtimantium errorem in valore commiſſum non vitare gratiam eo quod verus valor difficilem habeat certitudinem, & proinde error in valore exprimendo non ſit conſiderandus, ubi de voluntate Principis conſtat. Horum enim opinio neutiquam eſt recipienda. Cum hæc Reg. ( quam ſtylus Ro. Curie comprobatur ) indiſtinctè præcipiat verum valorem beneficii impetrandi eſſe exprimendum ad hoc ut gratia valeat, alias ſi irrita, nulla, & ſubreptitia. Quod aded verum eſt ut etiam ſi expreſſio valoris beneficii non eſſet neceſſaria, ſi tamen ſit facta, & reperitur majoris valoris, nihilominus nulla ſit gratia Maſcardus de probat. conſ. 874. nu. 6. aded ut beneficium cenſeatur vacare per obitum reſignantis cum in reſignatione nõ eſt expreſ-

expressis verus valor, *Flam. Paris. de Resig. ben. lib. 10. q. 2. nu. 43.* efficiaturq; Resignatarius inhabilis, non sic tamen ut resignatarius non possit illud beneficium obtinere ex alia causa, *Caput aquen. decis. 16. lib. 1.* Nunc ad propositum. Dico igitur nihil interesse, nihilq; considerabile quod Papa alias esset concessurus beneficium, cujus valor non fuit expressus, quia in dubio illud non est presumendum. Rursum, si exprimitur minor valor, quam revera sit, etiamsi constaret Papam adhuc vero valore expresso nihilominus concessurum, non ideo consequitur gratiam validari: quoniam per majorem valorem Pontifex redderetur difficilius ad concedendum, licet tandem esset concessurus, quo casu gratia est nulla *Mench. de arb. iud. lib. 2. cent. 3. casu. 201. nu. 77. c. postulasti de Rescript. Dec. conf. 11. nu. 16.* Si verò exprimitur major valor (quod raro, aut nunquam ferè contingit) idem adhuc esset dicendum inquit D. Guitierrez. Nam licet in hac specie propter minorem valorem appareat etiam certum Principem de vero valore idem concessurum, ac ideo Covar. d. loco contendat non vitari gratiã, quod expressio majoris valoris fuerat facta causa demonstrationis, quia de corpore beneficii constaret, *l. demonstratio falsa ff. de Cond. & demonst.* attamen quia verus valor erat necessariò exprimendus, & sic hæc quantitas, & valor sit pars gratiæ *Rot. decis. 6. in antiq.* non causa demonstrationis adjectus, sequitur quod si ve  
 25 sit expressus minor valor, sive major, gratia sit nulla, & subrepticia. Sunt & alia quæ idem D. Guitierrez producit argumenta Anchoranum & Covar. latius refutantia, quæ vide. Adverte interim quod licet hæc Regula inducat nullitatem gratiæ in qua verus valor non exprimitur, attamen non inducit vacationem seu reservationem, *Flam. d. quest. 2. nu. 44.*

D Exceptis distributionibus ) Et sic attenduntur fructus grossi in absentia, idque  
 deductis oneribus *Oldrad. conf. 118. Felij. in c. ad aures de Rescript. Nicol. Garcia de  
 ben. p. 1. c. 5. nu. 479.* Achilles de *Graffus decis. 1. de probat.* ubi insuper scribit valorem beneficii probari per annos quinque; & post ut *Fla. Paris. d. lib. 10. q. 2. num. 55.* quam tamen opinionem non probat Nicol. Garcia *d. tract. de benef. p. 5. c. 3. nu. 220.* & multo minus eorum qui dicunt probari per tres annos præcedentes ex *Pinello in l. 2. C. de Rescind. vend. 3. c. ult. nu. 30.* sed adstruit probari valorem per decem annos ante gratiam, quam tenet Rota ut per Anton. August. *decis. 497. lib. 3. quæ est. 3. p. divers. Pur. decis. 373. nu. 2.* & ita tenuit Rota in una *Cambracen. unionis 19. Jan. 1575. coram. D. Lancellotto* & si ex adverso detur de Regula de valore, incumbit onus probandi excessivitatem valoris opponenti de Regula, & debet probare excessivitatem valoris per decem annos ante impetrationem, atq; ita resolvit Rota *coram Caputaquen. 1. Febr. 1557.* vide *Flam. d. q. 2. nu. 50.* & *Farinacium dec. 550. p. 2.* ubi scribit valorem fructuum beneficii probari debere plenè & concludenter ad effectum hujus Regulæ: secus tamen si ad effectum retardandi vel annullandi pensionem super beneficio impositam, quia

tunc sufficit levior probatio idem *Farinac. d. decis. 550. p. 1. & decis. 455. nu. 8. ubi dicit beneficij valorem per non excessum probari per testes de publica voce & fama. Garcia de Ben p. 5. c. 3. num. 198.* Ceterum advertè, valorem Canoniatum non egere justificatione: cum enim isti Canonici consistant in distributionibus, solent exprimi valoris 2. 4. Ducatorum, ut fuit resolutum coram R. P. D. Coccino in una Constantien. Canoniatu 14. Junij 1610. & in alia Ludien. & Paderborn.

**E** In stipendium) Idem adstruit Card. Tuschus pract. conclus. tom. 6. conclus. 99. Covar. tom. 1. par. 2. c. 6. §. 3. nu. 7. in fi.

**F** Vacat primum ipso iure) Vide quæ scripsi supra ad Reg. § 2.

**G** Non tenetur quis) Vide Gonzales ad Reg. Cancell. gl. 5. §. 5. nu. 15 16 17. & illi quibus in locis dissentientes diversorum opiniones affert & tandem conclusit pensionis non esse faciendam mentionem: cum enim, inquit, pensio non sit beneficium Ecclesiasticum, ut denuit Rota decis. xv. numero. 1. de prebend. in univ. Geminia. in c. non potest in pr. num. 5. de preb. in 6. & jura solummodo disponant quod narrentur obtenta beneficia, consequens est pensionis non esse faciendam mentionem; cum beneficium non sit; atque ita hodie servat Rota; quod tamen hæcenus intellige, dummodo pensio non sit assignata in titulum beneficij, puta quando alicui assignatur super fructibus alicujus Ecclesie, ut deinceps sit Ecclesiasticum beneficium: quia tum ejusmodi pensionis, illiusque valoris facienda erit mentio, cum verè sit Ecclesiasticum beneficium *Gigas de pensio. q. 20. vers. Quarto limita & d. q. 67. nu. 1. & q. 99. nu. 22. in fi.*

Argumenta in Regul. LXII. INNOCENTII VIII.

- |   |   |
|---|---|
| <p>1. Hæc Regula præscribit modum faciendi suppl. pro beneficio vacante.</p> <p>2. Generalis reservatio dispositivè nunquam debet dari in Bulla, nisi in casibus hic expressis.</p> <p>3. Beneficia Officialium Sedis Apostolicæ sunt generaliter reservata.</p> <p>4. Etiam si exprimatür modus vacandi per Constit. execrabilis, vel per devolutionem cum clausula, quovis alio modo vacet, tunc non venit alia generalis reservatio,</p> | <p>5. Provisio, &amp; nova provisio quid differant.</p> <p>6. Si petatur sacrogatio, vel gratia, sine ostri, vel si nulli, non debet dari nisi collatanti, &amp; debet hoc specificari.</p> <p>7. Modus impetrandi beneficia reservata.</p> <p>8. Verba expressa quæ dicantur.</p> <p>9. Dictio pure in Regula quid designet.</p> <p>10. Beneficia officialium Papæ sunt generaliter reservata.</p> <p>11. Reservatio generalis non venit in rescripto Papæ nisi exprimatür.</p> <p>12. Reservationes hic expressæ non sunt generæ.</p> |
|---|---|